



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

Summo Viro Caspari Zieglero JC to primicerio, & Ordinis Juridici  
Vitembergensis Præsidi, diu expectatum de Episcopis librum edenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)



*Summo V I R O*

**CASPARI ZIEGLERO J<sup>C</sup>to**  
primicerio, & Ordinis Juridici Vitem-  
bergensis Præsidi, diu expectatum  
*de Episcopis librum edenti.*

**CONRADUS SAMUEL SCHURZ-  
FLEISCHIUS.**

**Q**UAMVIS in te nihil sit, quin Saxones nostri ma-  
gnum esse fateantur, tamen haud aliâ re maior  
videri potes, quàm quod cumulatissimas tuas  
laudes, & ipsam adeò nominis tui magnitudinem non  
agnoscis. Præclarè memini, quâ inductione animi hanc  
tibi legem statueris, ut voluntarios subinde labores su-  
sciperes, eò etiam tempore, quò vacationes à laboribus  
dantur. Mirum dictu, neq; id nescire debet posteritas,  
dies quoq; sacros, finitis ritè ceremoniis, nunquam vo-  
lenti abiisse otiosos. Adhuc recordor continuatæ &  
perennis industriæ, quam cùm in asserendis summæ po-  
testatis juribus, tum in emendandis Pontificum decre-  
tis gnaviter & exquisitè collocasti, ut iam non modò  
expressam repurgatæ huius doctrinæ imaginem, sed cer-  
tè etiam perfectum absolutumque corpus habeamus.  
Equidem de me tacebo, qui tamen nihil elegantius vel

ex-

expetere, vel desiderare possum, quatenus humaniorem illam & selectam Jurisprudentiam in oculis fero. Veniant Jurisperiti, & partes has agant, & in Zieglero Cuiacium seculo redditum affirment. Theologi non molestè ferant, si inter eos quoque expectationem sustineat ac tueatur, nec ullam laudis partem sibi detractam putent, si Jureconsultum doctrinâ & vitâ sanctissimum, libenter & ultrò Ordine suò versari patiantur. Nam omnibus Theologorum disciplinis ita eruditus est, ut locupletissima rerum divinarum scientiâ peritissimos quosq; exæquet aut vincat, semperque effingat aliquid & expoliat, quod munere Theologi dignum sit, & studio sacro perinde ac suo fruatur. Multi equidem ad religionis interpretes quasi hospites divertunt, nec pauci transfugæ sunt, & desertores audiunt, atque eò minùs expectationi suæ respondent. Sed *Saxo noster Papinianus*, Theologis similitudine & societate studii coniunctus, alieno abstinet, neque aliunde corrogata recipit, nedum ad se transfert, sed suo jure utitur, & cogitationem doctrinæ arctissimam labore ac meritis summo perè tuetur. Omne id abest ab indole Ziegleri, quod à Theologorum ingeniis abesse debet: ambitio & rixandi libido alios expugnare possunt, Zieglerum ne laceffere quidem audent. Opinio sanctitatis exemplo confirmata est doctrinæ gloria in monumentis dudum eluxit, & exteros admiratione suâ in auctorem convertit. De vultu,



oculis & fronte omnium iudicia consentiunt, in iis lumen ac decus rectæ mentis & voluntatis, & ipsam divini effigiem animi clarissimè cerni. Illa quidem virtus tibi communis est cum aliis, quæ solo scientiæ nomine continetur; sed cœlestis ista divinaq; vis, quæ à iudicio nulla labe corrupto proficiscitur, gentili jure ad te pertinet, & præcipuè nomen dignitatemq; tuam exornat. Amplius mihi ad dicendum pateret locus, si tua quidem modestia non abnueret, longioremq; epistolam ferret. Sin, quod subvereor, secus eveniret, nihil, opinor, reprehenderes, nisi audaciam, quam tamen pietas non vanâ ratione defendit, & veritas ipsa tuetur hanc causam, & nisi fallor, pro me intercedit, ut meam de tuis meritis sententiam aliquo loco esse patiaris. Optimo cuiq; ad te patet aditus, quem mihi, quamvis immerenti, non sines intercludi, & si tua existimatio, virtute parta, tibi sufficit, & tot tantisq; ingenii monumentis confirmata est, ut mea prædicatione non egeat, quippe quæ plus adepta sit, quàm ego quidem assequi, aut quisquam alius imitari possit. Laudes tuas, crede, Vitemberga non capit, neq; Saxonia circumscribit: longius prolatae sunt, & trans maria montesq; provectæ, non in curiâ & forò solùm, sed etiam in luce aulae, & in congressu Senatorum principum, ac in consilio & conspectu Martii Saxonis, atq; in publicò terrarum orbis domicilio celebrantur.

Age verò fausta mater Lipsia, intuere in tuum Zieglerum, decus nostrum, delicias tuas, quas tuo, neq; hoc inficiari volumus, beneficio sanè luculentò possidemus: quæso te, non invidere nobis has opes, quarum possessione ultrò cessisti, ut Vitembergæ traderes, quod aliunde profectò accipere non posset. Quia autem non facile deinceps expeditumq; erit mittere nobis Ziegleros, duo tibi mihiq; & omnibus verè virtutis existimatoribus optanda sunt, ut Zieglerus æquè tuus, ac noster, nullo iniquiore fatò impeditus, firmâ valetudine & tranquillò otio semper atq; ex animi sententia utatur. Ex Musæo EID. SEXTIL. E.D.V. cl. lcc. XXCV.

INDEX

INDEX